

E L E G I A.

Prospice: per montes FÜRST arcem conspicias illos:

Et, quæ prætereo, multa canenda, vides.

Quid non ad Zephyri cernes spectabile regnum?

His pagi, montes, & nemora alta locis.

Hic Deredinga, Vilum, Kilpergum, Biela, Kybinga,

Arx Schadevila tuis obuia luminibus.

Hic Altenburgum sublimi in vertice castrum:

Austriadum quondam nobilis illa domus.

Hic ab Edimburgi præacuto Monte videbis

Omnia vinifera consita vite iuga.

Ad Tubiam donec speculando rediueris urbem,

Atq; Palatinam videris inde Domum.

Despice iam: quid humi est? amplissima vallis, & æquor,

Hortis, arboribus, gramine, diues agris.

Hæc q; Rotenburgi longissima vallis ab ora,

Vel Tubios infrà continuatur agros.

In medio Hercynius vitreis Nicer influit vndis.

An non hæc oculis omnia grata tuis?

Despice: labentem cernes ad mœnia Nicrum:

Nam Domus hæc superat mœnia nostra duplo.

An Domus hæc aliâ potuisset sede locari?

Inq; suos vsus commodiore situ?

Celsa, augusta Domus, solido in fundamine postas:

Quæq; sui quavis commoda parte venit.

Maxima sublato sunt frumentaria tecto,

Quo sua demessus fœnora ponit ager.

Curia per medium est: agit hic sua cuncta Senatus:

Hicque forum exercet iudiciale Themis:

Hic sua Magnificus celebrat conuiuia Rector:

Hicq; Professorum sunt simulachra Scholæ.

Hic quoq;